DISSERTATIO DE ARTHRITIDE QUAM AD MEDICINÆ LAUREAM...

Giovanni Kaminski

DISSERTATIO

DE

ARTHRITIDE

QUAM AD MEDICINÆ LAUREAM

ASSEQUENDAM

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOANNES DE KAMINSKI



PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1843

Nobis enim nostra Academia magnam licentiam dat, ut quodcumque maxime occurrat, id nostro jure defendere liceat.

Cicero.

DOMINO DOMINO

IGNATIO DE WITKOWSKI

COGNATO PERAMATO

VIRO

HUMANITATE ET BENEVOLENTIA

INSIGNI

FAUTORI OPTIMO

IN

SUMMÆ VENERATIONIS ET GRATITUDINIS

MONUMENTUM

HAS PAGELLAS

VELUT

PRIMOS STUDII ACADEMICI FRUCTUS

SACRAS ESSE VULT

GRATISSIMUS AUCTOR.

Colendissime Cognate!

Tot tantaque sunt beneficia, quae per annorum seriem mihi largitus es, ut nil ardentius optaverim, quam, animum meum gratissimum offerendi occasionem.

Accipe igitur exiguas laboris mei primitias, quas Tuo nomine ornavi, qua summae venerationis et gratitudinis specimen. Spe sum fretus, fore ut amicitiam et amorem, quo me per totum studiorum curriculum amplecti consueveras, et in posterum mihi servare non cesses. Studium meum

642

indefessum erit gravibus muneris mei, cui me sacravi, officiis ad amussim satisfacere, atque omnia quae ars mea divina exposceret sacrificia animo subire forti et constanti, ita ut Tui non indignum sese semper prestiturum credat

Gratissimus Tuus Cognatus
J. Kaminski.

§. 1.

Definitio. Arthritis, Anglis Gout, Gallis Goutte, Italis Gotta, Germanis Gicht, secundum vim vocis (ἀρθρον et ιτις) inflammationem articuli designat; sed inflammatio articuli potius ad effectum referatur, quam ad naturam morbi, nam existunt inflammationes articulorum absque arthritide, et haec absque illa occurrit. Est vero Arthritis ille morbus, qui in qualitative vitiata bilis secretione consistit, et pro sede sua hepar et systema venae portarum agnoscit.

§. 2.

Divisio. Dividitur Arthritis in haereditariam et acquisitam, in manifestam et larvatam, in genuinam et spuriam, in simplicem et complicatam, in febrilem et affebrilem, in fixam et vagam, in acutam et chronicam, tandem in regularem et anomalam. Quae ultima divisio maxime mihi adrisit, quia ex natura morbi desumta, omnes arthritidis species in se complectitur.

§. 3.

Descriptio Arthritidis regularis.

Distinguimus 4 stadia.

I. *Stadium passionis systematis venae portarum.* Appetitus vel et digestio languent, cardialgia, sensus ponderis et plenitudinis in epigastrio, sapor acidus, ructus acidi, flatulentia, tormina, abdomen tumidum, polycholia, urina acide reagit, continet magna copia acidum uricum, quod facili modo eruere possumus, si urinae guttulas aliquas acidi citrici fumantis addimus; subito enim oriuntur crystalli ex acido urico formati.

Hoc stadium per aliquot septimanas durat.

II. *Stadium eruptionis seu incrementi.* Incipienta vere derepente ingruit. Aeger sanus lecto somnoque committitur.

Hora vero secunda post mediam noctem summo excitatur dolore, pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram aut talum. Hic dolor eum refert characterem, qui ossium dictorum dislocationem comitatur, aut cum sensu quasi aquae ebullientis partis adfectae membranis effusae manifestatur. Mox sequitur rigor cum horrore et febricitatione aequali. dolor autem hic primo mitior, gradatim intenditur, idque singula hora, donec tandem sub noctem ad culmen pervenit, partes articulationis primae et secundae pedis praecipue obsidens, nunc tensionem violentam, vel ligamentorum istorum dilacerationem, nunc sensum candentis ferri articulationem perfodientis, quandoque solum pressionem levem exprimens. Ad hoc accedit sensibilitas partis adfectae tis exaltata, ut nec linteorum super incumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concussionem ferre valeat. Motus partis affectae minime conceditur; ipsa articulatio morbida tumet, cutis colore tingitur roseo saepe in purpureum, aut violaceum transeunte. Reactio febrilis omnem insultum arthriticum comitatur, cuius character variat secundum individualitatem, aetatem et regnantem genium epidemicum; in maximo tamen numero casuum praesefert indolem synochalem cum pulsibus fortibus, acceleratis, duris. Febris haec mane remittit, imo ad intermittentem accedit typum, sudoreque vaporoso atque urinis sedimentosis, horis matutinis levamen tormentorum aegri inducit.

III. *Stadium efflorescentiae seu Acme.* Morbi imago nunc descripta perseverat decursu duarum septimanarum, posito normalem esse morbi decursum; sed remissionibus diurnis tam manifestis, ut inexperto typum intermittentem febris concomitans aemulari videatur. Durante hoc tempore, tumor idem persistit charactere immutato, saltem quod mobilitas tempore remissionum major concedatur, febris vero gradu mediocri ad morbum devincendum qua benignus nisus naturae medicatricis continuare non cesset; appropinquante vero fine alterius cycli septenarii exacerbationes vi sua decrescunt, atque decimo quarto die superato plenaria ingruit intermissio, paroxysmique locales quoque in directa cum febri proportione

intensitate gradatim decrescunt ac tandem penitus desinunt.

IV. *Stadium desquamationis seu decrementi.* Recedentem paroxismum excipit membri adfecti pruritus vix ferendus, cutis plaga antea rubens nunc naturalem adipiscitur colorem, squamulisque exiguis defurfuratur, remanet tamen stupor aliquis pedis, brevi tempore durans, motusque liber adhuc nequaquam conceditur. Morbo hoc modo decurso redit sensim appetitus, vires digestrices acuuntur, se et excretiones normaliter procedunt, somnus evadit reficiens, virium vitalium et materiae organicae restauratio sensim sensimque denuo incipit, membrorum adfectorum integritas restituitur, et convalescentes animi serenitatem adepti, meliori ac ante exantlatum morbum, sanitate gaudent. Falleretur tamen ille, qui hostem pro semper abactum crederet. Post brevius enim longiusve temporis intervallum eadem series paroxysmorum, quam nunc descripsimus, majore vel minore cum vehementia, secundum causas, quibus se exposuerint convalescentes, citius ocius-ve revertatur.

§. 4.

Arthritis anomala.

1. In articulationibus.

a) Arthritis chronica.

Non raro apud foeminas haemorrhoidibus antea adfectas observatur. Dolor in articulationa est pressivus, hujus temperatura quidpiam elevata, nullus vero tumor, nec rubor observatur.

Notabilis est perceptibilitas horum individuorum contra metalla, quorum attactu, dolores acerbissimi nascuntur.

§. 5.

b) Arthritis oedematosa.

Haec arthritidis forma facile cum hydrope confundi posset, quum oedema a malleolis usque ad genu se extendat; sed aegroti non uti in hydrope dolorem tensivum, sed potius lacerantem noctu exacerbandum persentiunt. Adsunt praeterea

ae

symptomata passionis venae portarum atque urina sedimentum deponit arthritidi proprium.

§. 6.

2. In ossibus.

a) Arthritis columnae vertebralis.

Imprimis in senili aetate occurrit. Phaenomena initio se manifestantia notae sunt levioris, unde fit, ut saepius praetervideantur. Sed tractu temporis paralyses in illis organis, quibus nervi spinales prospiciunt, oriuntur. Vertebrae enim post saepius repetitos insultus arthriticos, varias subeunt metamorphoses, exostoses producunt, quae nervos contiguos premendo paralyses generant. Ad diagnosin hujus arthritidis formae nos ducent: praegressa forma aliqua arthritidis, alium locum detentas praeprimis anomalas, cujus suppressione dolor obtusus, pungens in aliqua regione columnae vertebralis exoritur pressione et motu, praeprimis noctis tempore increscens, donec symptomatibus paralyseos stipatur.

§. 7.

b) Arthritis cephalica.

Est forma pessima. Aut galea aponeurotica est sedes adfectionis, — tum dolores oriuntur dirissimi lancinantes, sub lecti calore et noctis tempore valde adaugendi; abscissis capillis tumor observatur oedematosus, callidus, sub pressione dolens; aut ossa ipsa cranii corripiuntur — tum praeter dolores vehementissimos rodentes, terebrantes et phaenomena irritationis cerebri in conspectum veniunt.

§. 8.

3. In systemata vasculoso.

Inflammatur membrana interna ventriculi per eminentiam sinistri, et ipsa aorta, cujus sequelam sistit depositio salium arthriticorum ad valvulas, ad orificia horum organorum, inde insufficientia valvularum, sthenosis orificiorum, ossificatio aortae, phaenomenis insignis turbae circulationis et respirationis semet prodens. Sed morbo arthritico longius tempus indivi-

duum molestante, ipsa quoque vasa peripherica, praeprimis arteriae extremitatum adficiuntur inferiorum, et ossificantur. Aegri frigus percipiunt in membro adfecto; accedente causa mechanica, facili modo gangraena digitorum, quae tamen confundi non debet cum gangraena senili, sequela torporis universalis, evolvitur.

§ 9.

4. In membranis mucosis.

a) Diarrhoea arthritica.

Distinguitur haec diarrhoea ab omni alia, quae non est originis arthriticae, sequentibus characteribus.

Materiae, quae minori copia et cum tenesmo evacuantur anum corrodunt. Dolores simul adsunt circa umbilicum ardentes. Sapor oris est acidus, nec non ructus et vomitus acidus observatur. Urina sedimentum format arthriticis proprium (constat ex acido purpureo et rosaceo.)

§. 10.

b) Blennorrhoea organorum respirationis arthritica. (Laryngis, tracheae, bronchiorum).

Plectit semper individua, quae per longum tempus arthritide normali vel anomala laboraverunt, in quibus loco nunc Blennorrhoea horum organorum evolvitur, quae hoc peculiaris habet, quod mucus, qui excreatur, tenax sit, salsumque vel acidum habeat saporem, atque urina sales contineat arthriticos.

§. 11.

5. In organis uropoëticis.

a) Blennorrhoea vesicae.

Dolores sub mictu ardentes sentiuntur, nonnunquam dysuria completa adest. Urina est rubra et sedimentum format arthriticum. Mucus qui ex genitalibus excernitur, coloris est viridescentis, nec odorem illum specificum habet, quem in gonnorrhoea syphilitica observamus. Forma haec etiam *gonnorrhoea arthritica* vocatur.

§. 12.

b) In organis parenchymatosis.

Inter omnia organa parenchymatosa imprimis *renem* arthritide plecti videmus, quamquam extra dubium positum sit, etiam pulmones et ventriculum non solum secundario modo, suppressa arthritide, sed etiam primitive posse adfici. Tali modo ea tuberculosium forma explicatur, quae ab Alibert, Laenec, Rokitansky, Schönlein et aliis Anatomiae pathologicae cultoribus delineata fuit, et quae sputis concrementa lapidea (salibus arthriticis scatentia) continentibus manifestatur. Sed *ren* saepissime sedes est arthritidis, ita ut multi medici assererent, omnem nephritiden arthriticam esse, quae opinio vero experientiae quotidianae contradicit.

Nephritis illa lente decurrit et comitata est cum formatione calculorum renalium, qui ex basibus: calce, magnesia, ammonia, et acido urico (producto arthritico) constant. In genere omnes calculi renales, quorum principium constitutivum acidum uricum sistit, arthritidem qua fontem agnoscunt; illi vero, qui ex acido oxalico vel phosphorico compositi sunt, processui scrophuloso originem debent.

DIAGNOSIS.

§. 13.

Pauci sunt morbi, cum quibus arthritis, quoad essentiam, possit confundi, sed dantur quidam, quoad modum adparendi magnam similitudinem habentes. Inter hos primum certe occupat locum *Rheumatismus*, qui saepissime cum arthritide commutatur. Sed sequentes adducendi characteres diagnostici differentiales omne dubium tollunt.

1. Arthritis vel ex haereditaria vel adquisita dispositione oritur, et communiter ante 40. annum non evolvitur, pro Rheumaticis dispositio peculiaris non datur, saepe enim homines sanissimos cujusvis aetatis subito adgreditur, et si quae adest dispositio, illa cuti tenerae, molli, erga aëris vicissitudines nimium sensili innititur, dispositio vero arthritica non adeo in cutis sensilitate, quam potius in turbis organorum digestionis fundatur.

2. Arthritis prodromis brevius longiusve praecedentibus semet annonciat, effectiones systematis venae portarum nulla ratione praetervisibili, quae saepius per annos excurrit. In Rheumatismo nunquam symptomata haec detegi valent.

3. Causae arthritidis sunt multiplices, glisount potissimum occultae, durant diutius, pedetentim agunt, et semper sunt in relatione ad abdomen; hinc malum sensim evolvitur; Rheumatismus unicam eamque semper notam causam occasionalem agnoscit; suppressam nimirum transpirationem cutaneam per refrigerium, et nonnisi post causam manifestam revertitur, reditui Rheumatismi causa occasionalis ansam praebere debet, sed Arthritis etiam absque hac erumpit.

4. Causae Rheumatismi a temporum et locorum vicissitudinibus adeo pendent, ut ille saepius endemice imo epidemice regnat; Arthritis semper sporadice decurrit.

5. Rheumatismus articulos humeri, genu, cubiti, rarius antibrachii, rarissime digitorum manus et pedis molestat. Arthritis vero praeter majores articulationes, praesertim illas digitorum pedis et manus infestat.

6. Rheumatismus in principio in internis partibus non oritur, sed ab extus interiora versus vergit. Arthritis etiam in principio in interna quadam parte sedem figere potest.

7. Mednorrhoea et Leucorrhoea originis rheumaticae non dantur; quod de Arthritide nullatenus negari potest.

8. Rheumatismus, quo frequentius redit, eo lubentius unam eandemque partem praedilígit, dum in Arthritide contrarium obtinet.

9. Denique Rheumatismus praecaveri et in germine jam suffocari potest, imo cum fructu suffocatur; Arthritis vero evoluta nunquam sine discrimine enflaminatur.

§. 14.

Dolores *osteocopi*, substratum idem agnoscunt quam arthritici, scilicet: membranas fibroso-serosas ossium, et etiam noctu uti isti exacerbantur; morbus vero ille oriri non potest, nisi infectio per gonnorrhoeam vel inflammationem vel ulcere patiacta, praecesserat, quibus adjungendum adhue, quod me-

lum syphiliticum magno in gradu et per longum tempus durare possit, quia processus plasticus sive bilis secretio turbetur.

AETIOLOGIA.

§ 15.

Dispositio.

1. *Aetas.* Ad arthritiden maxime disposita est aetas virilis. Nam in illa vitae periodo jam a natura ipsa per arteriarum decrescentem, venarum vero increscentem activitatem, cujus centrum in hepate sistitur, prima ad morbi productionem ansa datur. En! quare in aetate infantili praevalente systemate lymphatico morbus nunquam, aetate juvenili, ubi systema arteriarum praedominatur rarissime, peculiaribus tantum circumstantiis faventibus, oriri potest.

2. *Sexus.* Experientia docet, viros frequentius arthritidi obnoxios esse quam foeminas. Hoc partim ao explicare licet, quod foeminae generaliter vitam magis sobriam et moderatam agant, partim ex eo et majori jure, quod viri vicissitudinibus aëris, quarum in generanda arthritide potestatem nebulis obsessa Anglia, humida Hollandia et Germania septentrionalis luculenter evincunt, vi muneris sui plurimum exponantur, partim ex eo, et maxima cum probabilitate, quod apud foeminas per fluxum menstruum congestiones et stases sanguinis in vasibus abdominalibus vel imminuantur, vel penitus tollantur, et hinc etiam crescat dispositio, silentibus menstruis. « Podagra non corripitur nisi menstrua ipsam defecerint » asserit Hippocrates in suis Aphorismis. Nihilominus Cullen et Scudamore plura adferunt exempla foeminarum, in quibus post menstruationem excessivam, Arthritis evolvebatur.

3. *Haereditas.* Dispositio haereditaria, quamquam a multis medicis negata tamen factis et experientia constat. Guilbert hanc probaturus sequens memorabile induxit exemplum: Individuum aliquod octo generavit proles antequam arthritis evoluta fuerit, omni ex parte sanos, hac vero evoluta nono originem dedit, qui unicus ex hac numerosa familia, eadem labe corripiebatur.

4. *Habitus arthriticus.* Hujus characteres secundum Sydenham sequentes sunt: « Corpus robustum, caput grande, pectus amplum, membra torosa, irritabilitas major, temperamentum atrobiliare, secretionum anomaliae, polyblennia, cutis aspera. »

5. *Vitae conditio.* Vita lauta, sedentaria Quantum influxum arrores diaetetici exerceant, et ad evolvendam arthritidem faciant, ex eo patet, quod ditiores multo frequentius ab arthritide corripiantur quam pauperes, quia priores cibis sallactis, vinis bonis et saepe majori fruantur dosi, quibus omnibus pauperes carere debent.

§ 16.

Causae excitantes.

A. Externae.

1. *Aër. Climn.* Favet imprimis arthritidi aër nebulosus, frigidiusculus, repentina aëris vicissitudo. Hinc ejus patria Anglia, Hollandia et Germania septentrionalis; rarior accurrit in regionibus versus meridiem vel ad solis ortum sitis, uti in Italia, Hispania.

2. *Cibi et potus.* Excessus omnis generis arthritidem progignere valet, hinc minus notus erat hic morbus testante Plinio temporibus antiquis, ubi luxuries non tantum exercuit principatum.

Primum vero occupat locum abusus ciborum pinguium, imprimis vero vinorum. Multi dantur medici, qui cerevisiam innocuam credunt, inter quos etiam Van Swieten, qui asserit Hollandiae incolas tam solummodo succumbere arthritidi, si cerevisiae vinum substituerint. Etiam Sueciae at Lapponiae populi secundum Linnée arthritidi minus sunt subjecti, quia vino carent.

B. Internae.

1. *Animi pathemata.* Curae graves, terror, ira. Stahl refert casum, ubi vir terrore percussus talem arthritidis insultum celebravit, ut lecto detinari non potuerit.

2. *Studia.* Van Swieten cognovit Mathematicum qui diuturnum strenuum observavit et tamen insultu vehementissima

adficiebatur, quum problema quoddam solvendo intentus fuisset.

3. Abusus Veneris.

CAUSA PROXIMA ARTHRITIDIS.

§ 17.

Natura arthritidis revelata nondum innotuit. Immortalis Stoll proximam Arthritidis causam redundantiae humoris atrobiliarii in sanguine cum aucta irritabilitate solidorum tribuit, qui in latice vitali aut acrimonia febrim arthriticam concitat, peccantemque materiam ex massa humorum per sudores, urinam, alvum partim eliminantem, partim depellentem ad artus, podagrae, chiragrae, etc initium ponit.

Cullen plethoram abdominalem, cui diathesis arthriticae individua obnoxia sunt, adcusat, quae tandem in atoniam extremitatum transit, semet in reliquo quoque organismo, praeprimis in laeso digestionis munere manifestatura; tumque sufficientem reactionem vitalem provocans a corpore egeritur, aut illi provocandae impar arthritidem retrogradam generat, aut omni reactione absente in atonicam abit. Si vero reactio quamcunque ob causam ad articulos propagari nequeat, fomes morbi alias aliasque agressura partes arthritidis vagae faciem induit.

Scudamore (Ueber die. Natur und Heilung der Gicht. Aus dem Englischen. Halle 1819) essentiam Arthritidis in plethora ad vires circulationis, specialiue in systemate venae portarum et hepate, cum morbosa secretionum canalis intestinalis et renum alteratione, consistere defendit, quin tamen penitus exponere sciat, in quo ista secretionum alteratio, consistat, quam habent rationem proximam, quomodo febris arthritica et articulorum inflammationes generentur? — *Hause* (Chronische Krankheiten III. Band) quaestioni solvendae sese subducit, adferens, solum arthritidem *acutum* charactere inflammatorio eminentius stipatam, morbum esse sincere dynamicum, *chronicam*, sub lente inflammationum decursu in exsudationes et formanda concrementa nitentem, plerumque

simul organicum etc. Articulorum modo inflammationem et quidam rheumaticam ante oculos habuisse videtur.

Phaenomena inflammationis, quae in pluribus casibus Arthritidis observantur, nec non turbae gastricae, quae illam praecedere et comitari solent, asseclas *Broussais* in suis ideis generalibus, quibus indulgent, confirmare debebant. Secundum illos Arthritis nil aliud est quam *gastro-arthritis.* — Intelliguntne illi sub hoc vocabulo phlogosin ventriculi, quae cum inflammatione articulationum coexistit? Vehementer errent, scimus enim ventriculum liberum esse, si inflammatio articulationum evolvitur. — Credunt fortassis phlogosin ventriculi cum illa articulationum alternantem? Tum inflammatio in illo organo non radicatur, si sedem cursu tam rapido mutat, ergo nomen inflammationis verae minime meretur. Cur perturbationes illas leves, quas ventriculus ante insultum, vel illo praesente patitur, cum nomine gastritidis insigniemus?

Vulnus levissimae notae, congestiones cerebrales minimae, animi pathemata quaecunque ventriculi functionem imminuere et alterare valent; an adfectio haec, quaeso, gastritis vocanda?

THEORIA NEOTERICORUM.

§ 18.

Schönlein, Canstadt et multi alii pathologi hujus decennii sequentem de Arthritide statuunt theoriam. Sedes Arthritidis unica est systema venae portarum. Hoc probant sensatio pressionis, et oppletionis, imo et palpitationis trunci venae portarum, intumescentia regionis, infra umbilicum et scrobiculum cordis, infra hepar et lien, et omnia phaenomena quae ex alienata functione horum organorum procedunt. In sanguine hujus venae portarum productum aliquod morbosum formatur, quod naturam *acidi* praesefert. Nos latet quidem acidum illud primarium, ex quo constituitur, noscimus vero secundarium, videlicet acidum phosphoricum, uricum, rosaceum et secundum Berzelium acidum lacteum. Haec acida non solum adparent in partibus systemati venae portarum vici-

nis v. g. in ventriculo, per ructum et vomitum acidum se manifestantis, sed etiam, modo secundario, in diversis productis organorum secernentium: sic in urina, in cute, quæ crystalla, in membranis synovialibus, qua concrementa. Verum hi in locis non per se existunt, sed varias inierunt combinationes, uti cum calce, magnesia, lixivia, imo occurrunt combinationes ternariæ. Productum illud morbosum, si summum adeptum est culmen, quæ corpori alienum, eliminatur. Haec eliminatio, si per arterias fit, Arthritis evolvitur, si per venas, tum ea phaenomenarum series in conspectum venit, quam nomine haemorrhoidum insignimus.

PROGNOSIS.

§ 19.

Arthritis in se quidem morbus lethalis non est, attamen ob causarum amovendi difficultatem et eo, quod organa nobilissima subitaneo insultu obruere possit, et plerumque insanabilis sit, morbis gravibus merito adnumeratur. Insanabilis est partim ob morbi naturam, quia ejus fomes organismo tam profunde inhaeret, ut absque fausta organismi metamorphosi tolli nequeat; partim ob aegros ipsos, qui constantia, qua opus est ad influxus noxios vitandos destituti, animi pathematibus obripiuntur, sinceraque medentis consilia ad amussim observare detrectant. In genere periculo minatur morbus, dum insultu aperto vel clandestinis insidiis, externis organis relictis, in internis nobilioribus saevit. Ad casus speciales dijudicandos aegri aetas, corporis constitutio, vitae genus, morbi causae, forma, complicatio, anni tempus, tempestatis ac genii epidemici rationes in considerationem sunt sumendae. Arthritis regularis, certis anni temporibus aut semel in anno recurrens, saepius aegri sanitatem parum laedit, ita ut quidem podagrici seram usque senectutem hilarem vivent vitam. — Pejor vero sors manet juvenes, in quibus malum rapidissime capit incrementa, et naturae vim supprimens, artisque armis elusis plurimum perniciei parat; pessima vero senes exhaustas, quibus vires ad devincendum morbum deficiunt. Dispo-

sitio haereditaria semper infaustam admittit prognosin Arthritici sensiliores habitu sic dicto nervoso instructi diversissimas formas mentientes, insidiis plurimum patent, quae saepe optimos medentis conatus eludentes desorganisationibus multifariis aegrum molestant, tristemque miseriarum scenam dudum exoptata mors serius ocius concludit. Si jam ad simplicem morbum extinguendum aeger et medicus enm tot difficultatibus luctari debeant; sponte sequitur, complicationes ejus, pericula prioribus multo majora protendere, idque eo magis, si complicationes jam per se spectatae malo omine minantur. Harum igitur indoles cum ea arthritidis praesentia cum adjunctis morbo aut sanitati faventibus, nec non dominans epidemia simul, collata circumspectum praesagientem dirigant opportet.

TERMINATIONES.

§ 20.

I. *In sanitatem.* Paroxysmi singuli dijudicantur crisibus manifestis, partim per urinas sedimentosas, acidum rosaceum continentes, partim per sudores copiosos, odorem habentes specificum. Nonnunquam exanthema milliare observatur. Morbus totus eradicatur, si paroxysmi quoad in et extensitatem semper decrescunt et tandem penitus evanescunt, atque functiones organorum digestricium et bilis secretio ad normam reducuntur.

II. *In sanitatem partialem.* Formantur nempe processus morbosi, quibus, functio aliquorum organorum aut penitus tollitur, aut difficilis redditur. Sic per depositionem salium arthriticorum ad articulationes hae intumescunt, formam propriam amittunt et anchylosis origini via sternitur. Si materies illa ab arthritide producta ad valvulas cordis, vel ad arterias extremitatum deponitur, oritur Stenocardia, Angina pectoris, gangraena senilis, si oculus sedes erat adfectionis degeneratur cornea vel lens crystallina, atque cataracta, vel glaucoma formatur.

III. In alios morbos.

a. *In inflammationes.* Sic gastritis non raro evolvitur, cura morbo contraria impetrata atque repulso.

b. *In Hydropem*, quea originem docit, vel:

α. ex praecessa inflammatione membranarum synovialium et serosarum, unde hydropem articulorum oriri videmus, vel·

β. ex exhaustione virium vitalium.

c. *In intermittentes.* Saepius enim fit, ut regnante imprimis genio epidemico nervoso, arthritis evanescat et intermittens evolvatur, quo devicto morbus pristinus revertitur. Scimus vero systema gangliare, idem in arthritidem, quam in intermittentes exercere imperiam, hinc in utroque morbo periodicitas et typus observatur, non difficila ergo explicandus transitus morbi unius in alterum.

IV. In mortem.

a. Per febris vehementiam, quam virium exhaustio sequitur.

b. Per inflammationem organorum nobilium in sequelam suppressae arthritidis.

c. Per morbos supra indigitatos.

THERAPIA.

§ 21.

I. *Indicatio prophylactica.* Haec locum habet in individuis, quorum parentes arthritide laboraverunt, habituque arthritico instructis. Scopus hic unicus erit, omnes removendi influxus, qui eruptionem producere possent. Hinc diaeta strenue mox delineanda observanda est.

II. *Ind. causalis.* Huc pertinent:

1. *Alimenta.* Haec prouti qualitate sic et quantitate viribus apprime convenienter concedenda sunt. Hinc victum robustis tenoem ordinamus, febri et phlogosi detentis nonnisi vegetabiles cibos exigua portione porrigimus, debilioribus vero et exhaustis vegetabilibus carnes tenariores admiscemus.

2. *Potulenta.* Potus omnes spirituosi, qui systema vasculosum et nervosum valde excitant, uti liquores, vina, potus

arabicus, strenue vitandi sunt. Cerevisia generatim melius convenit, hinc concedenda.

3. *Temperatura et exercitium corporis.* Arthritici optime se habent in temperatura aequabili, seris vicissitudinibus repentinis, qui sese exponunt poenas luunt summas. Hinc aegri sub climate inconstante degentes, coelum mutent, vitent vero morum ad litora maris, eligant potius regiones ab his remotas, ubi tamen beneficus maris influxus persentitur, uti Romam, Florentiam. Medici Anglici aegrna Lusitaniam et Hispaniam meridionalem, Teretum, Granadas mittunt. Cubile quod arthritici inhabitant amplum sit, et aëri pervium, hyemis tempore moderate calidum, aestate solis radiis non expositum.

4. *Motus corporis.* Quum causa morbi saepius latent in neglecto corporis exercitio, motus instituant aegri quotidie, qui coelo propitio et in aëre libero magis prosunt, uti equitationem, vectionem et frictionem debilioribus asservamus, qui priorum ob virium lapsum participes fieri nequeunt. Plurimum autem commendatur arthriticis, ut matutino tempore sub viridibus arborum frondibus morentur, subinde fungantur hortulani munere, plantaria enim fodicando, surculos transplantando, floribus aquam adspergendo, similibusque occupati, aërem, quem terra sauciata exhalat, gemmae et folia arborum viridia spirant, saluberrimum imbibunt, motibusque artus firmant, transpirationem cutaneam promovent, quo fit, ut digestionis et excretionum functio rite procedat et animus occupationum varietate distrahatur.

5. *Excessus in Venere.* Quum abusus Veneris multum conferat ad morbum evolvendum, quamquam unicum fontem, uti multi medici credunt, non sistat, imprimis caveant aegri ne huic Deae nimis offerant sacrificia.

6. *Animi motus.* Quem animi perturbationes in arthritidem generando et fovendo exerceant influxum, neminem latebit; hinc suadendum est aegro, ut animum exhilaret per itinerationes in regiones coeli mitiores, quae etiam conducunt, uti jam supra indigitavimus, per aëris mutati conditionem, colat artes, quae nimiam mentis intentionem non deposcunt, uti picturam, musicam, delectetur spectaculis, legat libros amoe-

nos, quorum objectorum varietate distracta mens nativam recuperabit serenitatem.

§. 22.

III. *Ind. Morbi.* Paroxysmo praesente, characterem et gradum febris consulemus, oportet. Febris intensa inflammatoria methodum antiphlogisticam solventem et leniter diapnoicam exposcit, imprimis si inflammatio topica accedit. Hinc venaesectiones a multis medicis proponuntur, in locali varo phlogosi, ad leniendum dolorem applicatio hirudinum suadetur. Aliis magnae auctoritatis viris a phlebotomia prorsus abhorrentibus ejus vices muriate *ammoniae*, nitrate *lixivae* et potibus refrigerantibus, explere placet. Utraque haec medendi ratio suo modo et loco adhibita ad desideratam ducere potest metam; inepte vero tractata aegrum praecipitem agere valet. Quid porro praeter sales et venaesectiones a tribu antiphlogisticorum cuivis speciali casui conveniat, morbi symptomata, complicatio aegri, aetas, etc. indicabunt. Febris lenioris gradus cum articulorum phlogosi, inversa ratione decrescens, heroicis absolute non indigat, illam potius regimine diaetetico, diapnoicis et eccoproticis expellere annitimur. Partes dolentes stupa cannabina, panno laneo, pellibus cuniculorum, apud ditiores carato sericeo involvi jubemus.

Remedia quod attinet sic dicta *antiarthritica* potissimum ex narcoticorum tribu desumta, quae a quibusdam medicis ad sidera tolluntur, ab aliis vero vilipenduntur, uti aconitum, digitalis, stipites dulcamarae, antimonialia, sulphur, guajacum, assa foetida etc. casus specialis statu bene considerato, indicationisque momentis clare perspectis cauta manu porrigi volo.

In curanda arthritida *anomala* cum majori adhuc perspicacia et circumspectione agendum est, cum in hac non modo aegri individualitas, adjuncta, gradus morbi et similia consideranda veniunt, verum etiam naturae singulorum, quae patiuntur, organorum peculiaris habenda est ratio. Hinc modo adhibemus methodum amollientem, modo pacantem diapnoicam aut diuresin promoventem, modo leniter solventem et

per alvum evacuantem, alias stimulantem, sopientem alias, in his casibus roborantibus, in illis antagonisticis utimur.

Quae omnia rite combinare et suo quoque loco porrigere, nonnisi ex bene statuta diagnosi poterit medicus. Singularem attentionem meretur Arthritis *retropulsa*; in hac observandum ante omnia, quale organuo morbus adgredi nitatur, si majoris dignitatis organa inflammatione corripi periclitentur, debilitate universale non obstante venaesectio facienda; tum reliquis antiphlogisticis neglectis, clarissimorum virorum consilia eo redeunt, ut volatiliter stimulantibus vires collapsas refocillare, et cutis transpirationem restituere studeant. Utuntur hinc in malo minus praecipiti infuso *melissae, menthae, valerianae*, aliisque diaphoreticis leninribus, urgente vero periculo *oleis aetheréis*, spirito C. C., *moscho* et praeprimis *camphora*.

§. 23.

Convalescentia juxta praecepta generalia tractanda est et eo adlaborandum, ut dispositio superstes tollatur, et quaecunque faveant recidivae, omni avertantur studio. *Rigiditas* et *imbecillitas* articulorum, quae etiam morbo devicto nonnunquam remanent, optime curantur fomentis, cataplasmatibus, balneis, iterata frictione levi.

Pediluvia alcalina, synapismi, vesicantia, ferrum candens, etc., quae a plorimis medicis propinantur, fortiorem membri adfecti irritationem causantia, revellentium vices quidem in casu necessitatis agere, nequaquam vero rigiditatem et immobilitatem tollere valent.

§. 24.

Succincta, quam et regulari et anomalae arthritidi opposui therapia utique omnibus numeris absoluta non est, quam ob temporis et spatii angustias tot tractandi methodos reliquerim. Animo enim convictus ultro profiteor, me opus suscepisse, quod debilia tironis humera ferre recusant, quodque coarctatis pagellis minime absolvi patest.

THESES DEFENDENDÆ

1. Causa immediata catameniorum consistit forsan in periodica separatione unius vel plurium ovulorum ab ovariis, eorumque translocatione in uterum.

2. In viro praevalet polus positivus, in muliere negativus, in illo vita animalis, in hac vegetabilis. *Stark.*

3. Sanguifluxus haemorrhoidalis fluxui menstruali non est analogus.

4. Quo ditior medicus ratione eo simplicior ejus Pharmacopoea.

5. Morbus sanitati nequaquam ex diametro est oppositus. *Stark.*

6. Vinum lac senum, lac vinum infantum.

7. Phlebotomiae majores jam fecerunt strages quam bella et pestis.

8. Arthritis et haemorrhoides ex uno scaturiunt fonte.

9. Typhum abdominalem qua haematosin declarare, hypothesis.

10. Medicus legalis omnium medicinae scientiarum auxiliarium imbutus sit oportet.

11. Homoeopathia multum continet veri et novi, sed verum non est novum et novum non est verum.